6

VIRO,
PERMAGNIFICO, GENEROSO,
MAXIMEQVE STRENVO,

DOMINO,
DNO. DANIELE FVCHS,

PISCARIAE DIOECESIS PRAEFECTO,

AVGVSTAS

PRAECONSVLIS
AC
PRAESIDIS GRAVISSIMI

DIGNITATES

A. R. S. MDCCLVI. D. XXX. MARTII

CAPESSENTE,

FONTEM NOVVM,

DEI MVNERE,

PATRVM PATRIAE SVFFRAGIO,

ET CIVIBVS ET MVSIS ELBINGENSIBVS

APERTVM,

PIIS VOTIS

CORONATVRVS,

PEGETHEOLOGIAE
PRAELVDIT
TENTAMINE

MVSARVM INTERPRES,

M. IACOBVS WOIT,

P. ET G.

ELBINGAE, LITTERIS NOHRMANNIANIS.

PRAECONSVLARES Te, Vir MAXIME STRENVE, capessente FASCES, communes inter Civitatis Civiumqve plausus, omnis etiam *Athenæi Drusici*, me *Internuntio* qvalicunqve, venerabundus assurgit *Chorus*, Te MAECENATEM *Suum* encomiis proseqvuturus dignissimis. Id vero dum meditor, dignumqve Tuis in Patriam meritis, Summam hanc TIBI conciliantibus Dignitatem, constituere pretium animo volvo: Innata Tibi maxime Modestia Verecundiaqve, meis remoram ponere videtur conaminibus. Hinc ne Tibi, Vir PERMAGNIFICE, de industria sim molestus, in simili jamjam versabor argumento, votiqve indidem summam depromam sincerrimi, ac IPSE Tu, inter otia, qvæ horti TIBI subinde subministrat secessus, occuparis maxime, libentissime. PEGETHEOLOGIAE nimirum inibo TENTAMEN, atqve pro virium modulo, *DEI Existentiam ex Fontibus* dabo demonstratam.

Sic est omnino; *Fontes* etiam *DEI* loqvuntur *Existentiam.* Visitemus, qvæso! inter deambulandum, sitis restingvendæ gratia, scaturiginem limpidissima, crystalloqve haud qvicqvam cedente aqva propullulantem. Mira sane hæc animos nostros demulcebit voluptate, simulqve oculis supra vulgus elatis incitabit, in Autorem Caussamqve ejusdem inqvirendi Primam. Hisce vero occupatis meditationibus, collustrata intellectus lumina sese applicantia socios, aurem nobis vellicabunt, ne in casu qvodam fortuito acqviescamus, qvin ire altius nobis erunt autores, ad Ens nimirum illud Summum, Instautatorem, Largitoremqve aqvæ dignoscendum. Qvo ipso de Existentia Numinis ter Sancti convincemur luculentissime. Immo verba illa, cedro dignissima, immortalibus qvondam de Ecclesia Evangelica meritis conspicui, *Læscheri* imitari nos docebunt: "Wenn wir, inqvientis, einen Brunnen sehen, sollen wir mit der Hand an „unsere Brust schlagen und sagen: Der dich gemacht hat, ist mein Herr, mein „Vater, mein Gnaden-Qvell, Herr Zebaoth ist sein Nahme.„ Et qvi id non valeant? Qvippe paganorum cœcitas, solo rationis ducta lumine, cuilibet fontium

tium divinitatem adſcripſit qvandam, iisdemqve ſingulis nympham qvandam finxit præſidem, qvam ſtipe in fontium injecta capita coluerunt. Sic enim *Plinius* Clitumnum delineaturus, refert, fontis hujus aqvam adeo puram vitreamqve fuiſſe, ut jactæ in eo ſtipes numerari potuerint. Haud eqvidem negarem, gentiles in hoc etiam, pro more ſuo, a vero aberraſſe, dum poſthabita cauſſa primæva DEO, ſecundam fontes eorundemqve præſides habuerunt ſanctos. Aſt qvis eat inficias! ſaniore inter illos præditos mente ſub nympharum ſpecie ignotum qvoddam ſibi Numen, inſtar Athenienſium, cultu proſeqvutos religioſo. Qvantum itaqve, hæc ethnicorum in fontes pietas, complures nomine non omine Chriſtianos dat in ruborem, ne minima qvidem clariſſima hæcce exiſtentiæ DEi ex ſcaturiginibus elucesſcentia veſtigia, dignantes attentione. Accedite ergo, o boni! paganorum ſtipati ſocietate ſcatebras: Contemplamini eas curatiori penſitatione, admirationis venerationisqve imponentes ſtipem: Nec etiam gradum inde removete prius, usqve dum, Omnipotentiam, Sapientiam, atqve Bonitatem Creatoris ex illis cognoveritis certaqve animi convictione Davidis protuleritis verba: "Tu DEVS, fidiſti fontem & flu-"vium, Tu exſiccaſti fluvios validos: Tu emittis fontes in fluvios, ut inter "montes eant: Potum præbeant omni feræ agrorum; frangant onagri iis "ſitim ſuam."

Nec eſt, cur immenſos orbis terrarum emetiamur tractus, invincibiles hoſce exiſtentiæ DEI ter Optimi Maximi detecturi teſtes. Etenim nulla ſane, anguſtiſſimis licet circumſcripta limitibus reperitur regio, cui etſi non exuberantibus, ſufficientibus tamen proſpectum non ſit aqvæ venis. Namqve ubi Creator ſummus, terræ hunc globum, mortalibus animalibusqve conceſſit in domicilium, officia etiam Patris familias Optimi, pro incentivo in creaturas affectu, omni explebit ex parte, eundemqve inſtruxit ita, ut qvovis in loco, potum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium maxime, ipſa terra præbeat patria. Haud eqvidem irem negatum, vero eſſe conſona, de qvibus peregrinationum compilatores nos reddunt certiores, reperiri nimirum qvasdam globi terreni plagas, undarum ſcaturiginibus omnino deſtitutas. Aſt iidem etiam nobis afferunt nuntium, hujusmodi eas eſſe tractus, qvi perpetuo ſolis ardentes æſtu ne animalibus qvidem brutis, nedum ratione præditis creaturis concedunt habitaculum. Qvis vero non exinde, nova eademqve luculentiſſima apodixi, de exuberante Numinis ter ſancti convincatur Bonitate, Clementia atqve Amore in mortales æqve ac omnia creaturarum genera? Aqva enim dum ad vitæ ſuſtentationem adeo eſt neceſſaria, ut ne abjectiſſima qvidem creaturarum vel diem absqve illa vitam ſuſtentare poſſit ſuam, ſapientiſſime univerſi Formator Summus ordinavit, ut qvovis in ſolo ſufficiens habitatoribus ſuis ſcaturiat lympha. Ex qvo ſimul qvilibet facile colliget, non leve priſco ævo poenæ fuiſſe genus, ſi cui aqva & igne interdiceretur, rebus utpote ad vitæ ſuſtentationem maxime neceſſariis. Id qvod ſuo qvondam Iſraelitæ ſatis comprabarunt exemplo, omni in deſerto deſtituti aqva. Contra vero, Moſes ſingularem prorſus terræ promiſſionis Canaan felicitatem ad vivum iisdem

ob

ob oculos positurus: "DEVS Tuus, inqvit, deducturus te est ad terram bonam, "terram fluviorum, aqvæ fontium & abyssorum, exeuntium ex valle & e monte.„

Qvod ad caussas naturæ, unde primi & fluminum & torrentium genitores sua ducant stamina, ipsis rerum naturalium scrutatoribus arcana subscribentibus, ita videntur inscrutabiles, ut propriam hocce in passu vel ingratiis fateri cogantur inscitiam. Atqve in illam licet descendamus sententiam, qvæ nostro ævo veritati maxime habetur consona; immensam qvippe aqvarum oceani qvantitatem, qvotidie in vapores abire, ventorum autem qvasi vehiculo, per qvasvis terræ plagas dissipari, atqve tum instar roris, pruinæ, nivis vel pluviæ, ut in planissimas terræ superficies, ita & in montes præcipitatam, sua scatebris suppeditare alimenta: Haud proletariæ tamen eruditionis præsto sunt Viri, dubia contra eandem moventes inexsuperabilia. Id qvod, me qvidem judice qvali qvali, satis superqve nos convincit, Ens aliqvod sapientiæ inpervestigabilis, id est Jehovam triunum fontibus ratione hominum intellectui angustis admodum cognitionis circumscripto limitibus inscrutabili, suos attribuisse ortus.

Qvibus dictis longe gravior adhuc accedet autoritas, si communia primævaqve fluminum aqvarumqve omnium hydrophylacia montes perlustrabimus. Sunt enim illi scopo præfinito, apprime opportuni, ut nempe gravitate specifica, qva gaudent aqvæ, descendere, loca campestria irrigare suasqve opes & regionum accolis qvibuslibet & tandem oceano per fluviorum alveos possint communicare. Ponamus e contrario lymphas eodem in loco ortus sui subsistere immotas, nec hinc indeqve per varios discurrere meandros, nec exhalare unqvam. Brevi certe aut in glaciem abirent, aut putredinem contrahentes aerem hominesqve inficerent, nullosqve adeo exsererent usus. Qvid dicam, abundantia sua modo hic damna caussaturas maxima, penuria sua modo illic regiones reddituras vastas incultasqve. Qvare provida rerum natura, vel rectius ut dicam, Creator Maximus, pro sapientia inexhausta, motum illis assignavit perennem, qvo reliqvi etiam regionum tractus ex ipsorum participent gazis. Excurramus qvæso aliqvantisper in tractus montanos, eorundemqve examinemus situm respectu reliqvarum regionis ejusdem partium. Ut plurimum sane, ni semper, animadvertemus, meditullium provinciarum, immo & insularum, sapientissima omnino ratione montium esse assignatum jugis, æqve utraqve parte distantibus ab oceano vel maribus, qvæ easdem alluunt terras. Alpium duntaxat juga, vel aërem ipsum transcendentia, nostro nunc faciant fidem asserto. Mediam hæc Germanicum inter & Mediterraneum mare occupant sedem, non alium profecto in finem, nisi ut ex aqvilegiis suis adjacentibus regionibus undiqvaqve suas commodius communicare possint aqvarum divitias. Qvippe etiam satis constat, nobilissima Europæ flumina perpusillis ex staminibus indidem promanantia per Germaniam, Ungariam, Galliam, Italiamqve qvaqva versum sese diffundere, atqve provincias hasce reddere cultissimas rebusqve abundantes omnibus. Moliatur autem Momus alter commune hoc Europæ hydrophylacium, in zonam vel frigidam vel torridam, illiqve largiamur eousqve prius. Qvam immensum fluminibus hisce inde emetiendum fuisset itineris spa-

 tium,

tium, donec in universale fluviorum sese exonerassent receptaculum? Qvi stupenda licet Alpium proceritas tam immensæ locorum suffectura fuisset longinqvitati? Qvi nix vel glacies, cunctis ibi perpetuo rigentibus gelu, liqvescere, amnesqve navium reddere potuisset patientes: Concedamus vero illi posterius, nec magis inde fluent absona. Qvot non milliarium centenis supra dicta regna inde forent dissita? Qvi nix glaciesqve, si qvam forte contraheret aqva, resolvi pedetentim, undaqve paulatim fluminibus potuisset communicari. Procul hinc itaqve, procul esto profane! Vel victas præbeas manus hæc etiam Artificem universi Summum perfecte ordinasse bona.

Novissima rerum naturæ inqvisitorum experimenta fidem nobis faciunt indubitatam, aqvas fontanas post pluviales maxima gaudere levitate. Qvem vero in finem? Certe, non nisi, ut tanto magis earum acceleretur decursus, qvippe qvo indigent maxime. Miramini itaqve mecum venerabundi singularem hanc prorsus in natura eurythmiam. Confitemini convicti, non nisi sapientiam Omnipotentiamqve omnimodam hominum transcendentem intellectum, soloqve in Conditore Omnipotente obviam ejusmodi qvid vel adornare vel adornatum in hoc usqve momentum conservare potuisse sartum immotumqve. Ipsemet namqve solus gloriatur: "Ego Jehovah, DEus Israelis aperiam super clivis fontes & in me- "dio vallium fontes ponam: desertum etiam in stagnum aqvarum & terram sic- "cam in scaturigines aqvarum.„

Ast qvot qvamqve exstantia Creatoris Maximi, Conservatoris Solertissimi sese manifestant criteria, diversimoda admodum venarum aqvæ animo si perlustramus genera, speciesqve inimus multifarias. Reperiuntur etenim, in pauca hæc ut conferam immensa, fontes intimam corporum metallorumqve transformantes constructionem atqve ferrum vel in cuprum, vel lignum in lapidem permutantes, aut lapidea posteriora circumdantes crusta. Reperiuntur fluxum refluxumqve maris & oceani non solum imitantes, sed etiam miranda hoc in passu si spectes phœnomena, longe transcendentes. Reperiuntur æstate ardentissimave diei hora gelu rigentes, injectaqve glaciei integumento superinducentes, hieme vero noctisve concubiæ calore æstuantes ferventissimo. Reperiuntur qvævis injecta, flamma ex illis prorumpente in cineres redigentes vel adurentes ad minimum. Reperiuntur purgationem linteorum exsiccatione denegantes aversantesqve. Reperiuntur statis saltem temporum momentis fluentes modo, modo exarescentes. Reperiuntur vatum perfungentes vicibus, annonæqve vel caritatem vel vilitatem præsagientes. Atqve qvis, sodes! mortalium, qvævis scaturiginum sciat enumerare genera, ineffabilesqve earum percensere virtutes. Et qvid referam de salinis, venisqve medicatis, qvarum posteriorum aliæ vel acidis vel mineralibus particulis, aliæ calore suo naturali hebeti vacillantiqve valetudini obstetrices præbent manus pristinamqve restituunt sanitatem. Qvis vero accuratiore hæc singula trutinans lance, tam perfrictæ sit frontis, ut existentiam Jovæ ex scatebris qvoqve elucescentem clarissime, porro eat pernegatum? Qvin potius sapientiam ejusdem immensam supplici adoret poplite devotam labiorum offerens hostiam.

Multifariæ

Multifariæ deniqve in homines æqve ac animalia, creaturasqve inanimatas ex fontibus redundantia emolumenta, totidem mihi videntur indices, exporrecto qvasi digito Existentiam Instauratoris universi ex aqvarum venis relucentem nobis commonstrantes. Qvid enim siti in itineribus pressos reficit recreatqve melius? Fontes. Qvid lympharum rivulis perdurante solis ardore exsiccatis potum æstatis tempore præbet animalibus? Fontes. Qvid arbores frutices, herbas, plantas, segetesqve in montium crescentes arenis alit nutritqve? Fontes. Qvid inveteratos maxime vel tollit vel lenit morborum cruciatus? Fontes. Qvid sordes membrorum corporis, linteorum, vestimentorum utensiliumqve abluit? Fontes. Qvid tandem hominum generi haud satis mirandam perdocuit Catoptrices scientiam atqve indagines ipsi detexit, conficiendi specula? Fontes. Qvis autem elemento huic, despectui maxime qvod habetur plerumqve, admirandas hasce prorsus indidit virtutes? Has nisi DEO ter Optimo Maximo vindices, maxime certe in eum esses ingratus, qvi meliori forte, haud tamen evidentiori ratione incentivum in te amorem affectumqve vere paternum potuisset declarare.

Taceo indubitatorum qvandoqve sigillorum subire vicem, qvibus gratiæ divinæ longe præ ira ejusdem exuberantis reddimur certissimi, qvippe cujus delapsus pariter ac præsens jam annus ratione sane nos convicit præsentissima. Ubi enim DEVS hominum criminibus iniqvus terræ motibus horrendis, inundationibus stupendis, haud minimam orbis terrarum exterruit partem: scaturigines oppido plures, cum vulgares, tum medicatæ, aliqvot abhinc annis vel exsiccatæ omnino, vel segnescentes magna ex parte, recentes variis in locis, terribilem inter hancce naturæ catastrophen, aut acqvisivere vires, aut suas mirum qvantum auxerunt virtutes.

E contrario autem nec ejusmodi desunt exempla, ubi poenarum sunt vel fuerunt instrumenta, qvas delictis promeriti exuberantibus patimur justissime. Licet enim naturalibus ex caussis fontium modo obdurentur venæ, modo ita vicissim relaxentur, ut hinc terrarum regionumque exoriantur inundationes, illinc annonæ proveniat caritas & qvæ non calamitatum publicarum caterva. Ast altius qvid sub his naturæ latere effectibus, qvilibet præjudiciis fatebitur vacuus. Omnes namqve mortalium transcendit vires, aqvis despectui habitis maxime, uno eodemqve momento & gratiæ & iræ exserere indicia. Qvare debitum Numini ter Sanctissimo statuentes honorem: "O altitudo, pleno erum-
"pamus ore, divitiarum & Sapientiæ & Cognitionis DEI! Qvam inscrutabilia
"sunt judicia Tua & inpervestigabiles viæ Tuæ.„

Qvemadmodum autem qvodlibet jamjam prolatorum in medium, vel separatim si pensitetur, haud suo caret pondere, verum fontium Autorem, DEVM, detegendi: ita omnia hæc in unam collecta summam haud ullum vel maxime existentiam DEI perneganti, relictura credo scrupulum, esse eundem verum atqve unum scaturiginum Largitorem Conservatoremqve.

Terqve qvaterqve ergo beati, qvi piis hujusmodi meditationibus exstimulati, nihil faciunt reliqvi, Omnipotentem æqve ac Sapientissimum hunc

Evergetam

Evergetam ut agnoscant, agnitum reperiant, repertum ament, amatum sibi reddant propitium, atqve in reconciliati tandem intimam penetrent communionem. Tum nocte dieqve erunt occupatissimi, Altissimum ut universi, ita & fontium Instauratorem Sospitatoremqve perennibus celebrare jubilis: "Magna, "inqvientes, sunt opera Jehovæ, perqvisita qvoad omnia beneplacita eorum. "Decus & honor est opus ejus & justitia ejus perstat in perpetuum.„

Ast, augustis PRAECONSVLIS GRAVISSIMI Dignitatibus, Te, Vir GENEROSE, jamjam exornato, *Novum*, qvod felix faustumqve DEVS esse jubeat! *Civium Musarumqve Elbingensium* videre videor *Fontem*. Fontes enim Rerumpublicarum dicere Gubernatores qvid vetat? Ex his namqve limpidissima prosperitatis omnigenæ aqva in omnia ac singula Communitatis redundat membra. Tantum vero abest, ut hi *Rerumpublicarum Fontes* sibimet ipsis suas vendicent lymphas, ut potius sponte sua confiteantur, suas sese DEO ter Optimo Maximo, scaturigini omnis boni primo acceptas ferre natales, probe sibi conscii; "Non esse "potestatem nisi a DEO, sed qvæ sunt potestates, a DEO esse ordinatas.„

Atqve similem FONTEM a Clementia Altissimi fessis Patriæ rebus hucdum excubante, coelitus apertum *Patrumqve Conscriptorum suffragio* constitutum Te, Vir MAXIME STRENVE, Musarum agnoscit pietas, advolatqve ad eundem, sertis pro more antiqvitatis coronatura. Sed ubi vel aeris inclementia, vel Pieridum penuria & floricomas & aureas & adamantinas pernegat corollas, ad vota confugiunt devota, qvæ ore cordeqve fundunt sincerrimo.

Limpidissima novæ gratiæ, novæ salutis, novarum & animi & corporis virium aqva, ex Fonte uno eodem vivo, Jehovah, alveo, in Te NECESSARIOS AGNATOSqve GENEROSOS redundet largissimo. Ex Te vero *Fonte* nobis *Novo*, novæ felicitatis, novorum bonorum novorumqve emolumentorum lympha perplura, faxit Omnipotens! annorum lustra, inter Patriæ Dulcissimæ diffluat limites. Sic etenim Sacrum Themidos Palatium, Philotheæ Evangelicæ Sacrarium, Scientiarum Palladium, Commerciorum Basilica atqve singulæ Civium Inqvilinorumqve Lares, Prudentiæ Tuæ consiliis, Comitatis virtute, Sermonisqve affabilitate irrigabuntur, reficientur, recreabunturqve saluberrime.

Atqve, ut qvæ longissimus adhuc pietatis meditatur affectus, svadelæ vero pernegat defectus, verbo concludam: Eadem, Sospitator peculii meritus maxime, Te, MAECENAS OPTIME, refocillet aqva vivente qvam mulieri qvondam Samaritanæ propinavit liberalissime, ne sitias in æternum, sed aqva hæc fiat Tibi fons aqvæ saliens in vitam æternam. Tum meritis in Patriam abundans, annis & ætate gravis, canitieqve summa venerandus, post seros demum annos, ad perennes vitæ æternæ translocatus scaturigines potaberis illis in æternitatem.